

**INSTRUCTIO DE CALENDARIIS PARTICULARIBUS
AD INTERIM ACCOMMODANDIS**

*La Nunziatura Apostolica in Italia, con lettera n. 1397 del 5.VII.1969,
ha trasmesso alla Segreteria Generale la seguente "Instructio":*

SACRA CONGREGATIO PRO CULTO DIVINO - PROT. N. 532/69

Decreto Sacrae Congregationis Rituum, quo novum Calendarium Romanum generale promulgatur, statuitur Calendaria et Propria officiorum atque Missarum esse recognoscenda "prae oculis habitis normis ad ordinationem anni liturgici spectantibus". Ad hoc opus facilius et securius reddendum, haec Sacra Congregatio pro Cultu divino oportunas tradet indicationes et normas.

Interim, *pro anno 1970* et donec editio typica librorum liturgicorum completa sit, haec serventur:

1. Celebrationes, quae etiam in Calendario generali inscribuntur, eadem ratione, qua in eo recensentur, peragantur.

2. Celebrationes propriae usque adhuc in Calendariis particularibus inscriptae, retineantur, et recolantur eadem ratione ac celebrationes in Calendario generali retentae, nempe:

a) Festa I classis, quae tamquam sollemnitates retinentur in nova tabula dierum liturgicorum fiant sollemnitates;

b) Festa II classis, quae tamquam festa retinentur in nova tabula dierum liturgicorum, tamquam festa celebrentur;

c) Festa III classis habeantur tamquam memoriae obligatoriae. In occur- rentia cum memoria obligatoria Calendarii generalis, pro anno 1970 una vel alia eligi potest ad libitum celebrantis;

d) Commemorationes fiant memoriae ad libitum, si occurrunt diebus quibus celebrari possint; secus, id est si hae commemorationes in diem incident in quo habetur Sollemnitas, Festum vel Memoria obligatoria, omittantur.

3. Festis Beatorum, qui forte habentur in calendariis particularibus, eadem applicentur normae supra recensitae.

E Civitate Vaticana, die 29 iunii 1969
In Sollemnitate SS. Apostolorum Petri et Pauli

De mandato Em. mi Cardinalis Praefecti
A. BUGNINI, a Secretis